

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis septimi - Fasciculus secundus): Vol. VII.

London, 1830

Seite 61

(65)

DIADELPHIA OCTANDRIA.

P O L Y G A L A.

Linn. Gen. Pl. 364. Juss. Gen. Pl. 99. Gærtn. t. 62. DeCand.
Prodr. v. 1. 321

Sepala duo interiora alæformia. Petala 3—5, inæqualia, inferiore carinato. Stamina basi monadelpha. Antheræ uniloculares. Capsula compressa. Semina hilo carunculata, comâ nullâ.

TABULA 669.

POLYGALA VENULOSA.

POLYGALA caespitosa, caulibus ascendentibus, foliis ovalibus utrinquè acutis, racemis terminalibus laxis multifloris, alis oblongis trinerviis venulosis corollâ dimidio brevioribus.

P. venulosa. Prodr. v. 2. 52. DeCand. Prodr. v. 1. 324.

In insulâ Cypro, necnon in Argolidis et Laconiae montibus; Maio florens. 2.

Radix perennis, lignosa, fusca, perpendicularis, ramosa. Caules plurimi, herbacei, subsimplices, ascendentes, levissimè pubescentes, substriati. Folia alterna, sessilia, ovalia, subacuta, atro-viridia, omnia conformia. Racemi longi, terminales, laxi, multiflori. Flores sub anthesin erecti, postea reflexi. Bracteæ nullæ. Sepala tria exteriora minuta, ovato-subulata, acutiuscula, membranaceo-marginata; interiora oblonga, basi angustata, corollâ duplò breviora, carnea, triplinervia, venis viridibus reticulata. Petala duo superiora spatulata, connata, obtusa, purpurascens; carina alba, fimbriata: laciniis lateralibus membranaceis, medio uidentatis. Ovarium obovatum, compressum, marginatum. Stigma bilabiatum; labio altero abbreviato, recurvo, emarginato; altero lineari, recto, obtuso.

a. Flos à fronte visus.

b. Idem, à latere.

C. Ala altera, aucta.

D. Calyx, alis ademptis, cum carinâ, auctus.

E. Pistillum, auctum.

f. Fructus maturus.